

9

RESERVADO

279

B. N. L.

RES.

279

Res.

Indice - 2 pces -

- 1 - Fabricius Aquitanus - (mat-
rus) de liberalium artium...
- 2 - Gouvenia (Antonia) Epigrammati...

Le 17 Juin de 1929

Déjà

Apud Iacobum Balthazarum
Et Iacobum Balthazarum

at Paris.

Journal - 1840

1 - Tobacco
2 - Flour
3 - Sugar

4 - Butter
5 - Lard
6 - Soap

Res. i
249

In us. sit. deo. p. f. u. o. t. i.
et gloria in secula

ARNOLDI

Fabricij Aquitani de

LIBERALIVM ARTIVM

studijs oratio Conimbricæ habita in
Gymnasio regio pridie quam
ludus aperiretur. I X.
Cal. Martij.

M. D. XLVII.



Salvator

CONIMBRICÆ.

Apud Ioannem Barrerium,
Et Ioannem Aluarez.

M. D. XLVIII.

ANNO 1711

Fabrycij Aductarii de

THE RAYN MARRIAGE

THE RAYN MARRIAGE

THE RAYN MARRIAGE

THE RAYN MARRIAGE

THE RAYN MARRIAGE

M.D.CXVII



COMITATU BRITANIE

Apud locum Baverham

Et locum Almarf

M.D.CXVIII

ORATIONEM de liberalium artium studijs hic à me
anno superiore habitam, cum iam iam editurus essem,
repētinus mortis Andreę Goueani casus interuenit, fe-
cit'q; ut istud iū hoc meum deponendū mihi primū sta-
tuerē. Viro enim illo, quo authore ad dicēdū accesserā,
extincto eam luce indignā, eóq; perpetuis tenebris dā-
nandā esse existimabā. Deinde verò gratissima bene-
uolentiæ, qua me ille complectebatur, recordatio, in sū-
mo ipsius desyderio animo meo identidem obuersans
ab ea me sententia deduxit, atq; perpulit, ut de quo vi-
uo in celebri cōuentu dicendo honorificentissime præ-
dicaram, eidem mortuo quam debebā, memoriā edi-
ta oratione præstarem. præsertim cum mea illa actiōe
aliter non tam eius virtuti verum testimonium, quam
præconium quoddam fuisse tributum videri posset.
Porrò autem adolescentes artium, quæ summis ac veris
laudibus hic ornantur, studijs deditos hoc officio deme-
reri volui: qui cum ad cognitionem illarum, quibus tot,
tāta'q; ad omnem vitæ partem proposita sunt præmia,
hac laudatione, cohortatione' que mea sentient se for-
tasse non parum moueri, libenter agnoscent, quantum
hoc vno literarum nomine illustrissimo ac sapientissi-
mo Regi debeant: qui dum acria Lusitanæ iuuentutis
ingenia politissima Gallorum & Italarum aduentitia
doctrina cultiora reddantur, nullis sibi ea in re sumpti-
bus parcēdum putat. Illud vero neq; dissimulabo,
neq; me fateri pudebit, in hac locorum cōmunium tra-
ctatione loca quædam quę ad hanc rem maximè perti-
nere

nege videbantur à M. Cicerone me mutuatum esse: ita tamen, vt verbis, ac ipsis propemodum rebus cōmutatis ea vt imitator in vsum meum transtulerim. In quo, si modo meus hic labor non omnino frustra susceptus videtur, spero meliori fore me conditione, quam cui vni Ciceronis imitatio nunc demum vitio, culpa'que tribuatur: quæ alijs tot viris nostra memoria summam apud omnes eloquentiæ laudem, admirationem'q; comparauit. Quorum exemplo equidem me ab omni vituperatorum calumnia sic sartum tectum apud æquum lectorem conseruatum iri confido, vt in re, quæ laudem etiam meretur, delicti veniam minime mihi petendam esse existimem.

Itaque iam ad orationem ipsam accedamus.

I Q V A M T R I T V M,

S

Auditores, & passim ab omnibus usurpatum est literarum nomen, tã vulgo cognita essent commoda, qua ab eis ad communem usum afferuntur: qua nunc à pau-

cis in honore habentur, in summa proculdubio apud omnes tum veneratione, tum authoritate essent. Sed in tãta opinionum prauitate fit, vt qui earum magnitudinem animo assequi nequeunt, ad quancunq; aliam vitæ rationē delati fuerint, eam ipsam natura consentaneam: hoc verò studium puerilem quendam ludum esse arbitrentur, in quo tempus frustra, operaq; ponatur. At ego cōtrà sic statuo: eo bono nullum vnquam mortaliū generi neq; ad pietatem sanctius, neq; ad eam inter nos communionem, ad quam nati sumus, tuendam vtilius, aut omnino præstantius dei optimi maximi munere concessum fuisse. Etenim si illustrissimis veterum monumentis credimus, initio cū homines dissipati hic, illicq; agerent, primum q; & vnum in locum congregati, & feritate a grestis vitæ mitigata ciuitates legum, iuris, iudiciorūq; descriptione constitutæ fuerunt doctorum virorum moderatione & sapientia. Posteaq; procedēte tempore in maximis rebus publicis fidei, iustitiæ, rectæq; disciplina obseruatiæ stabilitis his authoribus res maxima gestæ: quarū felicitas

A ij

cum

cum ad nostram vtilitatem pertineat, in ijs literarum beneficio memoria prodendis eorundem quoq; industria, operaq; magnum posteris emolumentum inuexit. Itaque quoniam mihi impositum est onus in tam celebri conuentu hoc tempore dicendi, ne quis posthac falso arbitretur operam malè collocatum iri, qua ad hoc studium adhibeatur: dicam de eius præstantia atq; vtilitate quàm potero accommodatissime. Nam recenti huiusce gymnasiy cōstitutione Illustrissimi Regis prudentia & liberalitate instaurata, in hoc præsertim virorū literatorū, & his doctrina & studijs deditorū confessu, qua de re debeā potius, q̄ de literis verba facere? Quarū dignitatē et si dicendo cōsequi me posse planè diffido: tamen cū sedulò in hanc rationē incubuerim, tantū abest, Auditores, vt verear reprehensionē vestram, vt conatum hunc meū in eam, quā opto partem vos accepturos, meq; à vobis gratiam initurum sperem, si non tam fraude mea factum, quàm rei natura fuerit, vt tanta magnitudini mea cederet oratio. Quæ tamen quò ad rem, de qua agitur, accommodatior exeat, ab ipsa hominis natura capiamus exordium. Sic enim facilis intelligemus quanta præsidia ex literarum scientia ea sibi comparare, quantasq; inde vtilitates hominum genus percipere soleat. Atq; vt instituta laudationis expositionem commode persequi possim, vos interea dicentem me,

quasō

quæso, benignè ac diligenter attendite.

Homo animal puidū et sagax tā præclara cōditione à Deo generatus est, vt inter omnia tā diuersi generis animãtia principatū teneat. qui cum cōstet ex animo et corpore, perspicuū est primas esse animi partes, secundas corporis. In corpore sunt mēbra sic inter se ipsa constituta, vt figuram, formã, staturam ad naturã quã maximè aptam habeant. Animus quandã habet præstantiam mentis: cui ingenerata sunt parua rerum maximarū notitia, atq; ipsa ratio insita quidem, sed ea non ita perfecta, vt nihil adiumenti extrinsecus requirat. Talis enī mens est homini data, quæ virtutis, cuius est capax, non nisi elementa habeat. Quocirca artes exquisita sunt, atq; ex notatiōe, animaduersioneq; natura inuenta: quarum subsidio ad ea quæ accepimus, consequentia adiungeremus, & quod in nobis est præstantissimum ab ipsa natura inchoatum, perficeremus. In ijs Prudentia, quæ rectè à veteribus ars vitæ nuncupata est, primum locum obtinet. nam et quæ à natura data sunt, sedulo tuetur, & quæ desunt, comparat. Ex quo fonte deductæ sunt artes: quæ iccirco ingenuæ et liberales dictæ sunt, quòd ingenys liberalibus sint dignæ. Hæ verò sunt quidam habitus animi ad virtutem, ad quam maximè facti à natura videmur, rectis studijs quasi subacti, & preparati:

ut Grammatica, Dialectica, Rhetorica: Itemq̄ numero-
 rum, sonorum, mensurae, syderum rationes. Taliū itaq̄
 satellitum pulcherrimo comitatu prudentia illa Princeps
 stipata rationem, qua nihil est homini datū prestantius,
 à natura in mente inchoatam harum ministerio magis
 ac magis perficit. Quae ratio cum ad summū perducta,
 & virtutum choro cumulata est, efficitur illa Sapiētia:
 quae quid aliud est, quàm omni virtutis, & artium gene-
 re perfecta, & absoluta ratio? Quae cum beata vita sit
 effectrix: Philosophiā, quae est studium sapiētia, de eius
 nomine graeco verbo sic dicta, maxime dignam arbitra-
 mur, in qua excolenda homines mentis, ingenijq̄ excellē-
 tia praediti versentur. Hanc princeps ingenij, & doctrine
 Plato sapienter putavit nihil aliud esse, nisi bonū, & in-
 ventum deorum. Nam cum deum colere: pietatem, iusti-
 tiam, animi tum magnitudinem, tum moderationē am-
 plecti: caelestia & aeterna cōtemplari: humana & cadu-
 ca pro nihilo habere verè sit diuinum, atq̄ extra humani
 ingenij sortem positum: quis iam dubitet veram Philoso-
 phiam, quae ad haec omnia nos erudiat, nobis de caelo di-
 uinitus esse dimissam? Quam ecquis satis dignè vn-
 quam laudarit, quae vrbes peperit? quae dispersos homines
 ad vitæ societatem compulit? quae consociatos, sermonis
 communionē conciliauit? conciliatos, connubys, familijs,
 affi-

affinitatibus cōiunxit, & ad utilitatum, ac officiorū inter se commutationem, omnemq; humanitatem, artium, iuris, legum, morū disciplina informavit? Hæc præter tot, tantasq; res, quibus cōmunem vitam instruxit, quod erat longe maximū, et difficilimū, vnūquenque se ipsum nosse docuit. quod præceptū quia maius humana dignitate videretur, non ab homine vlllo, sed Apollinis oraculo putabatur fuisse editum. Et quoniam corporis nostri non vsque adeo obscura, & difficilis est ratio: eo admoneri videmur, vt animi naturam, vimq; præcipuè exquiramus. In quo cum Philosophia ipsa maximè eluceat: si ea magistra nitamur, dispicere poterimus, ac intelligere animū nobis diuinitus datum cū multis alijs præclaris rebus ornatum, tum ratione, qua cæteris animātibus differimus, præditum. Quam cum inchoatam, nec planè perfectam à primo datam nobis esse sensim nos metipsos cognoscendo perspexerimus: si quem admodum omnes ea præstamus belluis, sic alijs alijs antecellere voluerimus: dabimus operā, vt eam quibuscunque id fieri poterit adiumentis ad summum perducamus. Est enim sic natura generata vis illa rationis, vt virtutem ipsam tanquam absolutionem suam potissimum requirat. virtus verò in agendo cernitur. at qui actionem præcedit rerū cognitio. ex quo efficitur, vt artes ipsæ, & doctrina, qua rerum cognitionē suppedi-

tant, rationi ad virtutē sint necessaria, quibus quasi gradibus ad eam perueniat. Quæ cum ita sint, iam satis cōstare arbitror quanta sit harum artium dignitas, quæ ad id quod est in homine præcipuum, omni ex parte absolvendū, tale, tantumq̄, afferant adiumentum. Sed quādo ita comparatum est, ut hominum duo sint genera: alterum eorum, qui cum rationē ipsam, de qua loquimur, doctrina excoluerint, dignitatem, & honestatem omnibus in rebus anteponunt: alterum ex indoctis, & literarū rudibus conflatum: qui cum nihil aliud in vita, quàm quæstum, emolumentum, atque etiam voluptatem spectent, faciendum est, ut cum literarum dignitate moveri nequeant, earundem certe utilitate vincantur. Quæ ut planius, uberiusq̄ à me demonstretur, sigillatim de artibus ipsis, quæ literis continentur, quid quæq̄ ad fructum communem afferat, dicendū est. Atque ut ab ijs quæ Mathematica dicuntur, initium faciam: quis est à communi sensu tam alienus, qui ignoret, quanta sit Arithmetica in omni vita parte utilitas? Sentiunt hanc docti, & indocti. experiuntur quotidie quæstores, rationum præfecti, mercatores, & alij quicunque negotia gerunt: Ne hi solum, sed omnium maxime, qui in reconditioribus artibus, & literis versantur. Quinetiam qui in archanis naturæ perscrutandis atatem contriuerunt

summo

summo ingenio viri, in rebus humanis numero nil perfectius esse censuerunt. Quem cum ceterarum artium mathematicarum fontē, & originem esse, eundem infinite progredi, varijsq; modis ita augeti, vt cum ad summā multitudinem peruenerit, non solum duplicari, sed etiam supra omnem modum posse multiplicari viderent: quibus cūque de rebus disputabant, quæ in sensum non caderet, sed intelligentia tantum, & ratione comprehendi possent, earum explicationem numero exequabantur. Omitto proportionēs illas, radices, quadrata, cubos, pyramides, quibus nihil non designabāt. Mitto etiā ternarij, septenarij, nouenarij, denarij prerogatiuas, & occultas vires: quibus vel naturam ipsam in rerum procreatione parere crediderunt: certe cum tantam numeri perfectionē esse viderent: materiam, ex qua mundi animus factus esset, ad eius rationem temperatam, atq; adeo animum ipsum numerum esse dixerunt. Mundum verò ex partium inter se harmonia didicerūt musica ratione constare. quam Pythagoras rerum ab ipsa natura inuolutarum causas perscrutans ex collatione numerorum inter se, quorum proportione symphonias illa redderet, nasci comperit. Nā cum pares chordas inaequalibus ponderum momentis appendisset, easq; vicissim pulsasset: quæ proportionem haberent trium ad quatuor, quam nos sesquiterciam, græci

ἐπιτετρον vocant diatessaron: quæ sesquialteram, diapæte: quæ duplam, diapason reddere experientia edoctus est.

Verum enimvero quanta in veneratione Musica pri-
scis temporibus apud Græcos fuerit, hinc intelligi po-
test, quod Musicitum idem qui poeta, & sapientes ha-
biti fuerunt. In qua cum summa eruditio sita censere-
tur: Principes Græciæ eius peritos, et Themistoclem cum
in epulis recusasset lyram indoctiorem habitum fuisse
M. Cicero memoriæ et literis perdidit. Quo quidē viro
etate paulo inferior philosophiæ parēs Socrates & senex
ipse dicitur fidibus didicisse, & ad hoc studium ingenuos
adolescētes incēdere cohortatione sua cōsueuisse. Itaque
tantum extitit in Græciæ Musica studium, ut qui libe-
ros suos optarent, ad summam reipub. laudem perducere:
ea in primis erudiendos curarēt. Nam teneros, atq; molles
animos ad moderationem, constantiamq; Musica disci-
plina formari existimabāt. Et profectō vis eius varijs in
rebus magna est: quæ animos tum excitat, tum remittit:
morbos & animi, & corporis lenit, ac remouet: molestias
abstergit: curas & labores solatio suo leuat. Psalmis, hym-
nis, canticis diuini numinis laus celebratur: prouidentia
declaratur: rerum futurarum euentus prædicuntur. Mi-
lites tubis, tibijs, cornibus incenssi nulla discriminis habita-
ratione in prælia riuunt. remiges celesmate admoniti
remos

remos agunt, vel sustinent. phreneticorum mentes morbo turbata & symphonia ad sanitatem reuocantur.

Alexandrum Macedonia regem memoria traditum est, cum apud eum Timotheus ille musicus præstantissimus legem eam musicæ incineret, quæ argumentum bellicum continebat, tanto impetu concitatum, ut cum exclamasset regia canticalia esse oportere, ad arma repete concurrerit. Et tanto ante Pythagoram accensos psalteria modis iuuenes, cum eam modos in spondeum mutare iussisset, à vi, quàm pudicæ domui inferre parabant, cohibuisse. Quod autem multo maius est: quis est, qui si forte ipse non legit, de alijs tamen non audierit aliquando, quod extat sacris literis perscriptum: Saulem Hebraorum Regem, cum furys agitaretur, citharæ pulsu à Davide mitigari, ac recreari sic fuisse solitum, ut modorum suauitate delinitus ad pristinum mentis statum quamprimum reuerteretur? Aristoteles peripateticæ philosophiæ princeps cum reipub. bene constituta plurimum interesse videret, ut adolescentes rectè instituerentur, Musicam ex earum artium numero esse demonstrauit, quæ essent adolescentibus discenda. propterea quòd et animū possit rectè componere, & ad vitæ degendæ rationem non parum valeat, dum ad animorum rerum actione de fatigantium relaxatione, & quietem

tem tanquã medicina adhibetur. Est igitur Musica in vârys vocum, instrumentorumq; cantibus, ac modis posita: quorum tanta vis est in vtraque partem, vt qualescunque ij fuerint, vel seueri, graues, decori: vel contrã lenes, molles, indecori, tales habitus animis, in quoscunque fuerint illapsi, excitare soleãt. Quapropter vir sapientissimus Plato interesse rei publicæ non parum censebat, antiqua musica seueritatẽ conseruare: Cuius leges, cum ex earum labe maximã morum corruptelã secuturã videret, non sine immutatione legũ publicarũ mutari posse, arbitratur. Quod vt inã haud tam verẽ prædixisset, quã hoc seculum testatur: quo videmus, quãta in omnibus ferẽ populis cum prisca & seuera musica in mollem, & effœminatam innouatione accesserit morum, animorumq; deprauatio. Sed institutum persequamur.

Geometria deinceps, quæ constat lineamentis, formis, interuallis, magnitudinibus, an nõ ad vsum vitæ cõis est necessaria? Hæc domibus bene, et ratione edificãdis lineas suas, figuras, dimensiones accõmodat. metiendis latifundis: agris diuidendis, ac definiendis regulã: põderibus examinandis trutinã: mensuris certũ quendam modũ adhibet. & quod vnum ad hominũ inter se societate tuendã est potissimũ, vt suum quisque habeat, æquabiles proportionibus suis distributiones subministrat. In re militari
magnus

magnus et olim fuit, & nūc etiā est machinarū bellica-
 rū vsus. Ad vrbes tū oppugnandas, tum propugnādas du-
 cūtur muri, et fossæ, aggeres, valla, castella, ppugnacula,
 cuniculi communiuntur. ad flumina traicienda pontes,
 rates, scaphæ, naues: ad explorandam locorum distātiā,
 altitudinem, summitatem varia instrumenta fiunt: quo-
 rum omnium rationem quis neget à Geometria fuisse de-
 sumptam? Hanc in Aegypto inuentā ad se transtule-
 runt græci: apud quos tātō in honore fuit, vt qui ea excul-
 tus non esset, philosophiæ mysterijs indignus haberetur.
 Et verò in Platonis Academia hoīes huius doctrinæ igna-
 ri aditu sedulo prohibebātur. cuius fores hac inscriptione
 ferūt notatas fuisse, ἀγεωμέτεται & οὐδέ τις εἰσίτω: qua tanq̄
 lege cautum erat, ne quis geometriæ imperitus eò ingre-
 deretur. Ei insuper diuinam quandam vim assignarunt
 summi ingenio, & doctrina viri: quòd à rebus corporeis
 animū abducens menti à sensus cōtagione purgat & sem-
 piternarum rerum, et tantum sub intelligentiam cadentium
 imagines figuris suis tanquam speculo repræsentet.
 Neq̄ enim Physici quæ de mundi satū, et vniuersæ rerū
 naturæ principijs, causis, effectis disseruerunt, non dico ea
 alijs tradere, sed ne animo quidem, et cogitatione comple-
 ctī: neq̄ Geographi orbem, partesq̄ eius metiri, & descripti
 omnibus spectatū oculis subycere, atq̄ quasi in rē præsentē

eos perducere vnquã potuissent, sine Geometria scientia
 atque instrumento. Cuius quidem figura, & proportio-
 nes ad motum, cursumq; astrorum adhibita Astrologiã
 pepererunt: quæ est cali, syderumq; motionis & conuer-
 sionis, accessus & recessus, ortus & occasus scientia
 diuturna obseruatione cõparata. Cuius periti nisi hora-
 rum, mensium, anni cõstitutione tempora dispensassent,
 qui eorum beneficio hodierno die in clara rerum omniũ
 luce versamur, in summa tum præteritarum ignoratiõe,
 tum præsentium confusione essemus. Quocirca vt præ-
 termittam animi voluptatem, quæ tanta est in harum re-
 rum inuestigatione, obseruatione, intelligentia, quantã
 puto ex alia vlla re percipi posse, quis dubitat quin in
 magnarũ rerũ administratione magno vsui hæc cog-
 nitio esse possit? Memoria proditum est Pericle Athenis
 cum ciues suos solis defectiõne vsque adeo perterritos videret,
 vt hoc portento cœlitus sibi interitum, exitiumq; vrbi
 denunciari arbitrarentur, concionem habuisse: In qua
 cum de solis, & luna cursu sapienter disseruisset, contur-
 batos inani metu liberauit. C. item Sulpitius Gallus cũ
 Tribunus militum in exercitu Pauli Aemilij Consulis
 esset, pridie quã committeretur prælium, in quo Perses
 victus, exindeq; in Samothracia captus fuit, quò ille re-
 bus suis magna clade accisis desperas confugerat, produ-
 ctus

in cōcionem à Consule, quem nocte proxima luna defectum fore prævidebat, militibus prædixit: quibus cum probasset ordine naturali id fieri solere, ne hoc veluti prodigio eorum animi à dimicatione deterrentur, effecit. Iam verò in re nautica, quæ sine huius præsidio in tanta maris vastitate, fluctuum iactatione, procellarum sæuitia: denique in tam infinita huiusce elementi barbarie securitas esse posset? Sine quo quis vnquam tot, tantisq; periculis se cōmittere ausus fuisset, quãta, Viri Lusitani, maiores vestri in terrarum occultarum, ac Geographis ipsis olim ignotarum lustratione antea subierunt, vobisq; ipsis pariter in eandem peruestigationem incumbētibus hodie sunt subeunda? Aut quotus quisque gubernator in nauigando cursum suum ad astra nō dirigit, quibus ducibus quò statuit, se peruenturum confidat? Chaldaei porrò astrorum scientia artem effecerunt: qua quo quisque fato natus, quid cuique euenturum sit, ex natali die notari, prædiciq; posse putaretur. Eadem fretus spherã Archimedes fecisse dicitur: In qua solis, et luna, & aliarum quinque errantium stellarum motus, & conuersiones eodem modo, quo in cælo, singulis diebus, ac noctibus fierent. Quæ omnia quàm sint iucunda, quàm admirabilia, quàm vtilia, ac planè in vsu neceßaria videtis.

Veniamus iam ad eas artes, quæ in perficiendo ser-

monerantur: in quibus Grammatica, quæ est literarum scientia, prima numeratur. Cuius quidem professio multo maior est, quam vulgus intelligat. Nam præter purè, et emendatè loquendi scientiam, authorum quoque enarrationem complectitur. Eius ratio ut in loquendo est necessaria, ita percipiendis, interpretandisque aliorum dictis, sensibusque, opportuna. Etenim verba propria, & apta nobis administrat, quibus animi sensa explicemus. & ne perturbata, discrepans, aut præpostera exeat oratio, docet sic ea coniungere: ut casibus, temporibus, personis, genere, et numero consentiant. Ad eruendos præterea sensus authorum abstrusos, & reconditos copiosum quoddam instrumentum varia rerum suppellectile paratum adhibet. & quæ tenuis, et exigua à primo videtur, talem ad extremum se profert, ut quæ in illustrioribus artibus sunt præclarissima, nisi firmis huius fundamentis nitantur, consistere omnino nequeant. Est enim omni loco, omni que tempore ita nobis necessaria, ut siue quid legamus, siue scribamus, siue cum alijs loquamur, siue ipsi nobiscum cogitemus, nullo modo ea carere possimus. Quæ profecto cum cæteris artibus ita est coniuncta, ut quo modo hæc ab illis, aut illa ab hac seiungi queant, ne intelligi quidem possit. Dialectica proximè sequitur Grammaticam, à qua cum sermonem rectum, & nu-

dum

dum acceperit, primum dispicit simplicia verba ad quod genus sint referenda: deinde coniunctorum vim, naturamque considerat: quid ἰσχυρὸν ἢ ἰσχυροῦς sit, quid νοκτυροῦ ἢ κευροῦ (quod utrunque dialecticorum vulgus subiectum, & predicatum nominat) quid enunciatio, quot eius genera. Tum regulam adhibet, qua verum, falsumne sit, quod enunciatur: & quid e quoque efficiatur: quid cuique consequens, quid contrarium sit, iudicetur. Cumq; multa sint natura ambigua, atque confusa: ut quaeque planè, explicatèq; dicantur, haec ars docet vniuersam rem in suas partes distribuere: ambiguam distinguere: latentis, & inuolutæ vim definitione proferre, atq; euoluere. Cuius cum duæ sint partes, vna iudicij: de qua iam diximus: altera inuentionis, quæ viam, rationemq; monstrat promendi ex locis, in quibus inclusa sunt argumenta: mirum est quantam in quaq; disputatione facultatem, copiamq; asserat tum ad differendum, tum ad iudicandum. Ex quibus quanta sit huius doctrinae utilitas, satis apparet. Dignitatem verò hoc vno metiri possumus, quòd ceteræ omnes artes huius artificij sunt constitutæ. Nam quæ artibus sunt nunc comprehensa, certum est dispersa, & dissoluta fuisse, priusquam hæc ars, quæ in artè illa redigeret, adhiberetur. Huic finitima est Rhetorica: quarum tanta est cognatio, ut cum pleraque

omnia habeant inter se communia, quid inter eas intersit aptius designari nequeat, quam qua hac in re manus similitudine Xenovsus traditur: cum Dialecticam pugno, Rhetoricam palma similem diceret. Est enim utriusque eadem materia: sed illa differendi ratio angustior: hac dicendi latior est, atque ornatior: & cum populariter loquatur, animis mouendis, vulgiq; sensibus magis accommodata. Neque verò putandum est, id frustra natura esse comparatum. Nam secundum mentem diuinitus acceptam lingua, & sermonis vim maximè propriam habemus, qua à mutis pecudibus discreti excellentis natura dignitatem multo melius, quàm corporis, orisq; figura, et specie exprimimus. Quam quidem à natura nobis iccirco esse tributam re ipsa intelligitur, ut sermonis usu inter nos comunicando quantum quisque ingenio, et prudètia valeret, alij alios docendo, monendo, hortando, mutuis officijs generis humani communitatem, & ad quam nati sumus, societatem coleremus. Quamobrem cum in obeundis muneribus, qua ad hanc vitæ coniunctionem pertinerent, necessaria saepenumero esset vis quadam maior orationis: qua non solum quid fieri par esset docere, sed audientium mentes ad id capeendum impellere posset, excitata est vberior illa, & vehementior mentis interpret oratio sapientum virorum ingenio, et industria: qua cogita

tiones

iones nostras nō solum disertè, et prudenter explicare, sed etiā quēcunque animorum motū res ipsa postularet, excitare, vel sedare dicendo possemus. Quae facultas arte subnixa, vsuq; et exercitatione cōfirmata Eloquentiā parit, ac procreat. quae quoniam rerum scientiam cum virtute complexā tenet, nihil aliud esse definita est, quā copiose loquens sapiētia. Quae vna quid ad splendorem, et gloriā illustrius, aut ad laudē admirabilius, aut omnino ad opes, ad gratiam, ad dignitatem praestantius, nō esse tantum, sed dici, aut etiam cogitari potest? Haec pacem, amicitiaq; inter populos conciliat. haec ciuitates, regna, imperia consilijs instruit. haec leges reipublicae salutare rogat: iudicia tuetur: oppressos periculis subleuat: nocentum fraudes, & scelera detegit, ac pœnis vlciscitur. Haec denique ad animos cōmouendos tantam in omnem partem vim habet, vt nulla sit tam obstinata sententia, quae expugnari: nulla tam excitata iracundia, quae sedari: nihil denique tā persuasum, atque animo infixum, quod moueri, euelliq; eius viribus non possit. Quibus instructus vir bonus, quale esse oratorem oportere intelligimus, quantam opem nō singulis solum, sed vniuersae reipub. afferre possit, vt alios praetermittā, quos eloquentiae laude in ciuitatibus suis floruisse legimus, exemplo sunt duo illi oratores omnium, quos vnq; natura procreauit, praestantissimi Demosthenes, et Cicero: quorum

quorum ille non solum pro ciuitate sua multa alia praeclearè gessit, sed etiam ut & historia, et diuina eius scripta declarant, pro totius Graeciae libertate Philippo Macedoniae regi cunctis opibus Graeciam inuadenti sese opposuit. aduersus què tanta contètionè dimicauit, ut populus Atheniensis, quem is ad defensionem cõmunis libertatis suscipiendam hortatu suo impulerat, tot copijs, tanto imperio, tanta prudentia, & gloria longo tempore, & rerum gestarum magnitudine comparata, nõ fortius, quàm hic vnus mentis, ac lingua viribus potentissimo hosti restiterit. Quid verò M. Tullius? quisquam ne in vlla ciuitate vnquam maiore eloquentia, animo, contètionè, quàm hic in Romana repub. orbis terrarum principe publicae libertatis, legum, iudiciorum causam sustinuit? Quis fortius contra sceleratos ciues, & pestem patriae nefariè molientes pugnavit? cuius constantius sceleri & audaciae restitit? quis acrius tyrannidem repulit? Hic eloquentia, consilio, fide armatus Verris libidinem, auaritiam, crudelitatem vltus est: Hic Catilinae coniurationem oppressit, & arma contra patriam suscepta è perditissimorum ciuium manibus extorsit. Hic turbulentos, & furiosos P. Clodij conatus refutauit. Idè M. Antonium repub. armis obsessam tenentem, & gladiatorum terrore iam ad se omnia trahentem, hostem iudicauit, vrbeq; expulit.

Cum

Cum cuius salute ita reipub. salus erat coniuncta, ut non prius Tyrānorū importunitate opprimi ea potuerit, quā eadem vi diuina hac vox intercepta, sublataq; fuisset.

Sed iā ad iurisprudentiam, qua eloquentia proxima est, accedamus. quam diuinarum, atque humanarum rerum scientiam, aequi et iniqui notitiam prudentes viri esse dixerunt. Iustitia siquidem, à qua ius ipsum dicitur, religionem erga deum, societatemq; hominum inter se, ac communionem complectitur. Ad religionem pertinet diuinarum rerum scientia, qua sacra scriptura libris continetur: qui maiestatem dei, gloriam, beneuolentiamq; erga genus humanum declarant: Verum, ac pium cultū docent: Sanctum I E S U Christi Euangelium, in quo vno nostra omnis iustitia, et salus est posita, ceteraq; fidei nostra sacramenta tanquam depositum quoddam fidelissimè seruant. Ad communem verò societate spectat aequi, et iniqui notitia: In qua omnis iuris humani ratio versatur: Cuius præcepta eadem sunt, qua iustitia officia: honestè viuere, nemini iniuriam facere, suum cuique ius tribuere. quibus ad conuentionem, salutemq; hominum tuendā quid potest omnino esse præstantius? Nec verò Medicina in hac artium, doctrinarumq; enumeratione est prætermittenda: qua in corporis nostri, & omnium ferè rerum naturā intrat: morbos, eorumq; causas dignoscit:

reme-

remedia adhibet, sanitatē tuetur. Quæ quidem cum ita sint omnia, iam satis intelligi potest, Auditores, quanta sit harum artium tum dignitas, tum utilitas. Quarum si singula ornamenta persequi vellem, dies profecto me deficeret. Addam igitur hoc solum: Cum duæ sint omnino res, quæ homines ad amplissimum dignitatis, & fortunæ gradum euehere possunt: vna rei militaris scientia: altera artium, & doctrinarum cognitio: quanquam vtraque ad conseruandum ciuitatum, regnorumq; statum est necessaria: tamen quò iustitia, et pax, quàm vis, et bellum natura est conuenientior, eò humanitatis, ac mäsuetiorum musarum disciplina, armorum & artisq; ferocitati magis est anteponenda. Occurrit hoc loco quorūdam opinio, qui iuuenum animos effæminari, timidos, minusq; ad res bellicas idoneos fieri literarū studio existimāt: quam pluribus verbis confutarem, nisi cum per se satis esset infirma, tum Græcorum, atq; Romanorum, qui orbem terrarum armis subegerunt, exeplo conuulsa iaceret: apud quos quicumq; extiterunt belli gloria duces maximi, idem literarum peritissimi fuere. Quoniam igitur rerū, quæ artibus sunt comprehensa, etiam vt virtutum inchoatæ tantum intelligentia à natura in animis nostris imprimuntur: vt ad perfectam earum cognitionem perduceremur, artes primum experientia inuenta, deinde literis mandata, quæ

que tanto temporum interuallo in tam varia rerum commutatione aliter fuerant interitura, ad nos peruen^{nt}erunt. Itaque literæ, quæ obliuioni subsidio essent, posteritatis gratia sunt repertæ: quarum lumen nisi accessisset, non solum tam præclarum, ac necessarium artium inuentum, sed etiam pietatis, & veræ de dei numine opinionis cognitio, rerum præteritarum memoria, omnis denique vita humana cultus in tenebris iaceret. Nam in religione ipsa nisi sanctissimis sacrarum literarum monumentis veritatem comprehensam teneremus, etsi mentem Dei opinione à natura imbutam habemus: tamen qualis ille sit, quo cultu, qua veneratione colendus, nesciremus. Ut enim prætermittamus à nobis lecta, & audita de impij deorum cultus superstitione: quæ luce veritatis euangelicæ nondum detecta, ac patefacta, per orbem fusa omnium ferè animos olim caligine sua oppresserat, declaratur id satis aperte gentium carum exemplo, quibus tam cæleste donum diuina largitate nondum impertitum est: quæ, dum quæque sibi deos pro arbitrio fingit, quanto in errore versentur, testantur ij, quibus tum in Indiam, tum in alias orbis terrarum remotissimas oras nauigantibus hoc ipsum videre contigit. Quorum voces eo vsque percrebuerunt, vt nullus iam sit in toto orbe Christiano angulus, qui

D mira-

mirabilibus istarum superstitionum narrationibus non
 personet. Rerum insuper antiquarum veritas quàm
 sine Historia testimonio esset incerta, ex eo constat,
 quòd in rebus non ita pridem gestis, quibusque dum
 gererentur, qui interfuerint, testes adhuc supersunt,
 tantam memoriæ infirmitatem, & sententiarum va-
 rietatem videmus, ut qui eis de rebus idem dicant, ex
 multis vix duo reperiantur. In tota vero originum,
 testamentorum, conventionum, legum, iudiciorum, &
 aliarum huiusmodi humanarum actionum causa,
 nisi maiores ad posteros suos horum omnium memo-
 riam scriptura transtulissent, quæ cautio hominum
 inter se, quæ fides, quæ securitas esse posset? Profectò
 nulla: Sed contrà in dubium, incertumq; omnia re-
 vocarentur, ac nihil quicquam firmum, stabilè ve ma-
 neret. In qua rerum confusione nihil recte, ordineque
 fieri, infima summis misceri, ac turbari omnia, & dum
 quisque tantum ad se trahit, quantum vi, rapinâque
 potest, bonos ab improbis, tennes à potentibus opprimi
 par, atque consentaneum est. Ad hæc cum boni
 mores, ac ipsa quoque virtutes sapientum virorum, qui
 bene beateq; vivendi regulam nobis tradiderunt, præ-
 ceptis, institutisque nitantur, nisi suas illi cogitatio-
 nes literis mandassent, tantum laborem frustra susce-
 pisse

pisse viderentur. Etenim quomodo putamus aliter fieri potuisse, ut tot, tantarum que rerum, quanta eorum dogmatis sunt comprehensa, recordatio in animis hominum contra vetustatem tandiu duraret, cum re ipsa experiamur, eorum quae ipsi à magistris audiimus, & didicimus, memoriam, nisi literatura subsidio iuuetur, breui tempore obliuione deleri? Ac ne ea quidem in hoc genere pretereunda est, quae ex literis percipitur, commoditas: quòd earum beneficio certiores de rebus quibuslibet facimus absentes, & cum eis locorum interuallo à nobis disiunctis tanquam cum praesentibus colloquimur: idq̄ commodius, ac fideliter magis, quàm si internuncijs ageremus. Quam quidem ad rem haud scio an ipso etiam sermone scriptio sit magis accomodata. Quae enim coram agere conantes pudore, aut metu deterremur, liberius ac audacius absentes ea literis consignamus. Accedit etiam, ut sermo paucorum, qui audiunt, auribus percipiatur: utq̄ quo habetur loco quasi cancellis quibusdam conclusus neque emanet, neque tempore, quàm quo profertur, longiore maneat. At scriptura diu viget, & longe lateque dispersa, diuersis temporibus, diuersis in locis eadem à multis tractatur, legitur, auditur. Cuius quidem, ut summatim dicam, tanta est magnitudo, atque fa-

cultas, ut quaecunque caelo, terra, mari continentur: sy-
 derum, animalium, plantarum: nec non ceterarum eius-
 dem generis rerum scientiam complectatur. Ex quibus
 nihil ad pietatem, ac vitam humanam consociationem, com-
 munitatemque praestabilius, nihil uberius, nihil utilius lite-
 ris esse, facile intelligi potest. Et certe nulla est ho-
 minum conditio, nulla fortuna, nullus ordo, qui earum
 usu carere possit. Etenim siue in rerum cognitione,
 siue in actione versamur: siue priuata, siue publica ne-
 gotia gerimus, literarum subsidio nobis opus est. Cete-
 rarum quidem rerum, quae expetuntur, singula aut
 ad laudem, aut ad usum, aut ad voluptatem spectant.
 Haec dignitatis, utilitatis, delectationis commoditates
 omneis continent. Harum studia ad pietatem & hu-
 manitatem nos informant, & diuinarum, atque hu-
 manarum rerum scientia instruunt. Eadem prosperas
 res ornant: aduersas solantur: in otio delectant: in ne-
 gotijs profunt: denique quocunque nos conuerterimus,
 praesto adsunt omni loco, omni tempore ita opportuna,
 ut non aqua, non igni, non aere (quod dicitur) pluribus
 in locis, quam literis utamur. Quamobrem cum ad omnem ve-
 ritatis scientiam, rerum praeteritarum memoriam, et cognitionem
 tanta sit literarum commoditas, ususque in omni vita parte tam
 necessarius: earum studia non ipsis solum, qui ex obscuro loco

& tenui fortuna ad opes, dignitatem, gloriam aspirant, sed etiam claris viris, principibus, regibus maxime digna sunt. Ac quidem natura comparatum est, ut carendo magis, quàm fruendo quid utilitatis res magna habeant, intelligatur. Quocirca diuini huius erga nos muneris eò notior est nunc magnitudo, quò recentior est adhuc barbariei memoria, quæ tyrannide sua omnem humanitatis elegantiam multis seculis oppressam tenuit. à qua artes cõtaminata, & elegantiores literæ labefactata, suaq; dignitate spoliata cum fuissent: quanquam antea diuersis temporibus multi viri ingenio præstantissimi gnauiter, nec omnino infeliciter sua sponte eas excitare, atque erigere conati fuerunt: tamen in ruinis suis tandiu illæ iacuerunt: donec Principes, ac Reges tantum negotium ad se pertinere arbitrati ingeniosissimos, & eruditissimos quosque summis præmijs, & honoribus certatim ad tam præclari facinoris confectionem inuitarunt. Qua quidem in re magna laus est IOANNIS Regis huius illustrissimi: qui cum videret boni Principis officium esse, eos, qui in ipsius imperio sunt, quàm beatissimos efficere: Lusitaniam partim sua, partim Maiorum suorum virtute, & sapientia cæteris rebus, quæ ad regni felicitatem pertinerent, recte constitutam: literarum ornamento tanto, & tam necessario carere noluit. In quo

Dij vno

vno quamvis tot sint regia virtutes, quot in alio quoquam
 bene morato Principe esse possunt: tamen cunctos, qui-
 cunque nunc sunt, in iustitia & moderatione longe supe-
 rat. Quando enim auditum est tanto tempore, quanto
 Christianus orbis bellorum incendio flagrauit, Re-
 gem Lusitania in cuiusquam Christiani principis exi-
 tium conspirasse, aut quenquam sedibus suis expulisse,
 aut omnino armis inuasisse? Quin iniurias à Lusita-
 nis mercatoribus acceptas sepe potius de suo compensare
 maluit, quàm si vulciscendo, earum causa occasionem belli
 qua sisse videretur. Quos enim exercitus comparat, quas
 classes instruit: contra gentes barbaras, & à persuasionem
 nostram abhorrentes instruit: quò eas ab impio simulachro-
 rum cultu, ad veram religionem: ab immanitate, ad bene,
 beateq; viuendi rationem traducat. Dum alij Principes
 magnificis Catholicorum, Christianissimorum, Fidei de-
 fensorum titulis insignes bella ex bellis ferunt: solus hic in-
 terea barbaris resistit, barbaros aggreditur, barbaros debel-
 lat. ut verè hoc mihi videar esse dicturus, huius vnus, quàm
 illorum omnium auspicijs plura oppida capta, plura bella
 confecta, plures gentes esse superatas: et ita superatas, ut
 earum longe melior, quàm erat, facta fuerit conditio. Nā
 pro superstitione, pietatem: pro barbarie, humanitate: pro
 perpetuis, & hostilibus inter se dissentionibus, & odijs: ami-

citiam, pacē, trāquillitatem receperunt. Quod imperiū
 maiorum robore paruum, huius virtute, & sapiētia ita pro-
 pagatum, ac cōstitutum est, ut potētissimum At auro-
 rum, tum Indorum gentibus, à quibus istius Imperij opes
 antea oppugnabantur, nuper fuis, fugatisq̄ iam iisdem,
 quibus Africa, Asiaq̄ terminis definiatur. O felicem
 tātorege Lusitaniam! si quidem verē dixit Plato eas de-
 mum beatas fore respublicas: quarū rectores aut docti, &
 sapientes: aut sapientiæ studiosi essent. Vidit enim, vidit
 inquam, vir ille planē diuinus quō bene, beateq̄ viueretur,
 hominum cōmunitati non belli tantum, sed etiam quas
 literæ docent, pacis artes esse necessarias. Quibus hic
 Rex Inclutus ut populum suum quā florentissimum
 redderet, Gymnasium hoc futurum breui totius Hispani-
 e celeberrimum literis dicauit: honestisq̄ præmijs, ac cō-
 ditionibus tot Præceptores doctissimos longē gentium huc
 euocauit, qui optimis artibus inuētutem erudirent.

Te verō ANDREA Goueane dux noster præ-
 stantissime, rebus omnibus à doctrina, & prudentia in-
 structissimum delegit: cui constituenda, regendaq̄ hu-
 ius literaria reipublicæ prouinciam daret: cuiusq̄ im-
 perio nos præceptores iordines duceremus. Tu Lutetiæ
 Parisiorum in Academia orbis terrarum florentissima
 celebri Gymnasio præfectus primū ingenij tui, erudi-

tionis, prudentia specimen dedisti. Tu deinde Burdigalam præcipuam in Aquitania ciuitatem propositis amplissimis stipendijs publico senatus, Decurionumq; vrbis rogatu, accersituq; vocatus in conferendis ibi bonis artibus, ac literis singularem tuam tum virtutem, tum solertiam probasti. Nam Aquitania nostra pubem, quæ antea ab eleganti doctrina abhorrere videbatur, sic ad literarum humanitatem incendiisti, vt nulla iam sit in Gallia natio, quæ ad hæc studia propensior feratur. ea institutione, & disciplina excoluisti, vt non alia sit, quæ vberiores fructus edere soleat. Etenim ex illo tuo Gymnasio multi poeta, oratores, philosophi tanquam ex optima artium officina in dies prodeunt. quorum alij docendi munus subeunt: alij ad Iurisprudentiam, Medicinam, Theologiam se conferunt. Qui omnes vt te presentem in oculis ferebant, & tanquam parentem complectebantur: sic nunc absentem requirunt, lugent, grata memoria prosequuntur. Obstrinxisti antea tuo tibi beneficio externas nationes: quibus cum immortalis gloria iucundam, diuturnamq; prefecturæ, nominisq; tui memoriã reliquisti: Nunc venit tempus, quo patria (cuius charitate nulla maior esse potest) fidem, operam, industriam tuam iure suo repetit. Cui charissima, ac dulcissima Parenti, quæ te tulit, ac aluit, nullum potes munus afferre maius, meliusve, quam si eius iuuentutem omnibus

bus et literis bonis, & moribus docendam, atque erudiendā
 curaueris. Quae de causa quanto studio adductus huc te
 contuleris, tibi omnes conscy sumus, quos summa tua hu-
 manitate ad te consequendum, sustinendamq; aliquam
 huius oneris partem impulisti. Quo duce Auditores stu-
 diosissimi, bona spes nos tenet quenque nostrum pro virili
 parte industria sua effecturū, ut neque Regem tam sapiē-
 tis consily, neque vos, ad quorum vtilitatem nostrum omnē
 laborem sedulo conferemus, expectationis vestrae tandem
 pœniteat. Quamobrem, ut orationis mea exitum aliquā-
 do expediam, si Regis voluntati parere: si parentum, ami-
 corumq; vestrorū expectationi satisfacere: si vobis honori,
 patriæq; emolumēto esse velitis, in hac præstantissima do-
 ctrina, ac humanitatis studia, ad quae ingressi estis, sedu-
 lō est vobis incumbēdum: Et in tanta præceptorum copia,
 loci opportunitate, et atis flore, rerū omnium, quae studia
 vestra iuuare, & prouehere possunt, commoditate, danda
 diligens opera, ne cum omnia affuerint, ipsi vobis tantū
 defuisse videamini.

EXCVDEBANT IOANNES BARRE-
RIYS ET IOANNES ALVARVS
TYPOGRAPHI REGII, CO-
NIMBRICAE, ANN. M. D.
XLVIII. VII. IDVS
SEPTEMB.



V' M INTERIM A' GRA
 uioribus me cogitationibus recol-
 ligerem, si quid argute scribi pos-
 se uidebam, id epigrammate con-
 cludere laborabam : præsertim
 cum ad scribendum esset animus,
 esset ea facultas, quam usu quidem literarum propè
 nullo partam, & conquistam, exercitatio potuit ali-
 qua confirmare, amicorumq; accederet inani fortas-
 se spe, incensa tamen, ac inflammata exhortatio. Ve-
 rum cum ad novos & ueteres scriptores, qui in hoc
 genere clari ac nobiles extitere, cogitatione paulisper
 referebã, frangi me animo, debilitariq; nescio quo-
 modo, sentiebam : qui nouitatis illos nomine non
 displicere, hos antiquitatis gratia probari plurimũ
 intelligerem : quorum altero ad nostrorum laborũ
 commendationem abuti non possem, altero ne uti
 quidem uellem . Nam ut de Catullo initio dicam,
 magnus profecto uir fuit, multarum, magnarumq;
 artium cognitione instructus, multa subtiliter, mul-
 ta grauius inuenit, Romanè scripsit non pauca, eius
 tamen scripta Catullo plurimum, Catullum suis
 scriptis parum debere statuebam. Quæ si religionis

metu depolito, quo nos impeditos ac irretitos tenet
antiquitas, expendere uelimus, nihil quod ad ingenij
acumen, orationis puritatem pertineat, fortasse
desideres, cur noua esse non possint, non intelligas.
Hunc P. Val. Martialis, ut longo temporum secus
tus interuallo, ita uictum, superatumq; in omnes
partes reliquit. De quo sic iudico: magnas esse hu-
ius uiri, & admirabiles in eo genere uirtutes, non quæ
aliorum possint industriam refringere, conatumq;
retardare. Claudianus post multò laude, quam ex
Panegyricis duobus tulerat, non contentus, ad hanc
quoque aspirauit, cuius ne umbram quidem, meo
iudicio, est assecutus. Nostra & patrum memoria
nimium multos tulit: qui neq; ingenij commenda-
tione, neq; nouitatis gratia caruerunt. Quæ nobis
etsi deesse uel non potest, uel certè non debet, ita est
optanda, ut si nulla ingenij, nulla industriæ, nulla
dictionis uirtute commendetur, iubeam nihil esse
ualituram. Mihi profectò factum abunde erit satis,
hæc si ita legas, ut intelligas, intelligas ut iudices, iu-
dices ut uitijs minimè concedas, neq; uirtutes, quæ
sentio quàm sint exiguæ, suo fructu priuatas esse
patiaris. Qua censura in posterum nos uel deterriti
planè, uel certè retardati, ad scribendum paulò
erimus tardiores.

Vale, Lugduni III, Calend. Maias.